Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

interiorem atrium. gazophylacium. cantores. sacerdotes. templum. altare. sacrificia dicere. si per eandem portam interiorem hoc loco sancta ecclesia designatur. Cuncta enim hec intra ipsam sunt. quam nimirum extra portam interiorem esse. si extra ecclesiam non est. Intelligi ergo porta interior potest ea de qua longe superius locuti sumus. que est porta aquilonis et orientis directe posita. per quam figurari diximus aditum quo nobis ad interiora gaudia patrie celestis aperitur. ut hic quoque per portas que circa vestibulum narrantur. sancta ecclesia per prophetam vero interior regni celestis aditus figuretur. Sed ne quis me verba sancti prophete estimet ad intellectum meum violenter inflectere. et dicat quia de porta interiori significationem sancte ecclesie quam semel dixi mutare non debui. in fulgente omnipotentis dei gratia que cepimus ipsa teneamus. ut et porta interior signet ecclesiam que nos ad interiora gaudia perducit. et gazophylacia. cantores. sacerdotes. templum. altare. sacrificia sint in atrio quod est extra portam. et tamen extra ecclesiam non sit. Si enim subtili investigatione perquirimus nil obstat intelligi. ut interiorem portam sic dictam esse sentiamus. de qua nunc dicitur. Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum sanctam ecclesiam in atrio interiori. Duo sunt etenim que dicuntur. porta interior. atque extra hanc atrium interius. quoniam hoc ipsum atrium exterius fit et interius. exterius a porta interiori. ut sic superius diximus portis. quas narrando subiunxit. Sancta enim ecclesia duas vitas habet. unam quam temporaliter ducit. aliam quam in eternum recipit. una qua laborat in terra. alia que remuneratur in celo. una qua mercedes colligit. alia vero in qua iam de receptis mercedibus gaudet. atque in utraque vita offert sacrificium. hic videlicet sacrificium compunctionis. et illic sacrificium laudis. De hoc sacrificio dicitur. Sacrificium deo spiritus contribulatus. De illo scriptum est. Tunc acceptabis sacrificium iustitie. oblationes et holocausta. De quo rursus ait. Ut cantet tibi gloria mea et non compungar. In utroque autem sacrificio carnes offeruntur. quia hic oblatio carnis maceratio est corporis. ibi oblatio carnis est in laude dei gloria resurrectionis. Tunc quippe illic quasi in holocaustum offertur caro. quando in eterna incorruptione permutata nil erit dictionis.